



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

16. Excommunicatio Ragenardi Comitis Senonensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

Excommunicatio Ragenardi Comitis Senonensis, renovata adversus Gauzfridum & Geilonem Canonicos Senonenses.

XVI. **I**mmensus dolor nos urget ad gemitum, ac indicibilis afflictio commovet ad fletum, quando illos quos passio Christi à jugo diaboli redemit, & à sordibus peccatorum facer baptismus purificavit, & Ecclesiae catholicae corpori sociavit, nunc iterum se ipsos sponte antiquo hosti subdere videmus, & non solum membris Christi persecutionem inferre, sed etiam contra ipsum totius creaturae auctorem & dominum bellum moliri. Qui enim sacrosanctae Ecclesiae structores atque defensores esse debuerunt, modò venenato diaboli furore vexati, atque ferina rabie concitati, omni timore Domini postposito, & remedio penitentiae neglecto, Ecclesias in Dei honore ac perpetuae virginis Mariae sanctique Stephani dicatas lacerare ac sine pastore esse non pertimescunt, violenter usurpantes ea unde sancta Dei debet restaurari Ecclesia. Ammonemus etiam & ammonendo adjuramus ut incorrigibiles, & qui pestiferis & flagitiosis moribus sunt inrethi, sicut à bonis moribus sunt alienati, ita & à consortio fidelium fiant extranei. Igitur cognoscat universalis Ecclesia hostes severissimos & tyrannos improbos, adversarios & persecutores pessimos sanctae Dei Ecclesiae, Ragenardum Gauzfridum atque Geilonem

& Rodmundum ejus filium, eorumque Canonicos, praecceptorum commilitones, ecclesiasticarum rerum Dei contemptores, sanctorum canonum transgressores, pastoris sui contradictores, pervasores, quos ab ipso summo pastore Christo & beatissima ejus matre Maria, atque beato Petro Apostolorum principe, cuius, quamvis indignus, auctoritate & magisterio fungor, nisi citissime se emendaverint & satisfaciendo commissa fideliter restituerint, eos cum omnibus sanctis in caelo meritis viventibus & in terra miraculis fulgentibus obligamus, & à nobis secundum potestatem nostrae pravitati concessam ligandi atque solvendi excommunicamus

atque anathematis gladio transfigimus. Deinde excommunicamus G. a. u. z. f. r. i. d. u. m, G. e. i. l. o. n. e. m, Grobertum Diaconem, qui meum injustè usurpat-archidiaconatum, Wangerium, Arricum, postea verò Ansellum, item Ansellum, Hugonem, Ansegisum, Balduinum, Hos & omnes qui postquam archiepiscopalem susceperunt benedictionem, sanctum Senensis Ecclesiae locum ingredi non permiserunt more antecessorum meorum, desistentes à veritate, adherentes mendatio, insuper anathematizamus per Patrem & Filium & per Spiritum sanctum & per auctoritatem nobis à Deo concessam, ut nullam Christianorum habeant portionem, Ecclesiamque Dei non ingrediantur, neque Missa eis ab aliquo celebretur, nisi eidem poenae voluerit subjacere. Nulla pro eis vel pro illorum offensis, nisi satisfecerint, fiat oblatio vel commemoratio. Non thuris neque incensae, sed neque sacri luminis, carne viventes vel morientes portionem accipiant, sed cum pravis & contra Deum tumentibus sanctisque lacerantibus fiat pars & hereditas eorum ignis indeficiens & cruciatus perpetuus. Maledicti sint in civitate, maledicti in agro. Amen. Maledicti sint in domibus, maledicti sint in villis. Amen. Maledicti in saltibus, maledicti in aquis. Amen. Maledicti sint in vicis, maledicti in plateis & in omnibus locis. Amen. Nisi correcti existant, multiplici maledictione induantur. Amen. A nemine sacerdotum in articulo mortis visitentur, neque in cimiteriis Christianorum sepeliantur, sed velut cadavera foetida proiciantur. Amen. Maledicta sint horrea eorum, & maledicta sint reliquiae illorum. Amen. Maledicti sint ingredienti & egredientes. Amen. Percutiet eos Dominus egestate, febris, & frigore, & aestu, & persequatur donec pereant. Amen. Sicut haec lucerna extinguitur in oculis hominum, sic extinguantur lucernae eorum in perpetuum. Amen.

